

medio ac longiore ordine conspicerentur, ultimum locum occupare debere: hincque evenisse, ut, cum versum 32. scripsisset, eadem obliqua linea perrexerit ad v. 35. & inde ad 39. ac tum demum redierit ad v. 33. siveque ordines perverterit. Eandem Hebræo Psalmorum codici dicam vide scriptam in *Biblioth. Britann. To. VII. P. I. p. 96. sq.*

Resp. (α) agnoscimus libros in Scriptura S. metricos (*), negamus autem partim metrum in iis corruptum, & singulari demum vel arte, vel revelatione restituendum, partim, totam Scripturam metro coarctari, cum ob styli historici in libris historicis proprietatem, tum ob insertorum in libris Prosaicis hymnorum, Ex. XV. Deut. XXXII. Judic. V. 1 Sam. II. 2 Sam. I. VII. 1 Chron. XVI. Jef. V. XXVI. Jonæ II. Hab. III. a reliquo contextu diversitatem. (β) Sui autem, quod Meibomius fingit, metri fundamenta, leges & dimensionem aperire unquam nec voluit, nec forte potuit, quin suam *in speciminibus* passim prodidit linguæ sanctæ ignorantiam tanto promissor hiatu, temeritatem etiam, delendo, addendo, mutando, transponendo. Et quamquam in familiari colloquio occasionem mihi, cum Amstælodami versarer, & satis familiariter eodem uterer, expositurus, qua in hanc de latus sententiam, investigando huic metro operam dederit, subinde hinc ad genium linguæ sanctæ, & vocabula, quæ manifesto corrupti onem spirent, hinc ad collationem Græcæ τῶν ὁ Versionis provocaret; lubrico tamen utrumque nititur talo, cum analogiam linguæ ex suo tantum æstimet arbitrio, LXXralis autem versio adeo mendosa sit, corrupta & inquinata, ut nulla hominum sagacitate restitui amplius queat. (γ) Illa autem, quam fingit, transpositio meritis adeo nititur conjecturis, ut suæ nimium prodigus sit credulitatis, eidem qui fidem adjiciat. Eandem quoque D. Majus explosit *Dissertation. Sacrar. Loc. I. de Scriptura S. Cap. I. §. 6. p. 8. sq.*

VIII. Alii 8) diversam lectionem corundem textuum, in diversis V. T. libris. Hoc Ludov. Cappellus urget *Criticæ S. libro toto I. eoque fine provocat* (a) ad differentias, quæ occurunt in multis, quæ in libris Paralipomenon leguntur, quæque eadem in aliis quoque libris sacris habentur, & ex illis, seu antiquioribus, videntur in libros Paralipomenon translata: (b) ad eas, quæ deprehenduntur inter librum

(*) Per ea, quæ diximus *Introd. P. II. Cap. I. toto.*